

## COLLOQUIVM IN ORBIS

Quò digitum intendam. non hìc, en, cernis, apricis  
 Collibus impositam, riguis & vallibus urbem?  
 Non liquidos fontes passim per prata, per arua  
 Læta soporifero manantes murmure? lymphis  
 Agmina Nympharum vitreis mersare natantum  
 Corpora? perpetuo hæc dicas viridantia Tempe,  
 Aspice: Aquisgranum est: hic Carole Mausolæum  
 Conspicitur ter Magne tuum: hic diadema prima  
 Magnanimi accipiunt, genus alto à sanguine Diuum,  
 Induperatores. acri quæ sulphure fumant  
 Hæc loca, sunt calidis Therma de fontibus orta:  
 Ægra salutifero reparantes corpora Therma  
 Flumine, victa lue, & varijs exercita morbis.  
 Mercibus, & studijs hic splendida Lipsia: clara hic  
 Vittenberga iacet: vastos Erfurdia muros,  
 Vandalicos & sæpe truces experta furores  
 Hamburgum, & celsas turrets, arcesq; superba  
 Lubeca ostentat: ter maxima Praga potentum  
 Nec minus ostentat monumenta insignia Regum:  
 Et vastas moles, longi & curuamina pontis.  
 Magna Vienna, sua hic en propugnacula, vinci  
 Nescia, miratur, animosaq; despicit hostem.  
 Hæc Phœbæa Rhodos: sunt hæc tua mœnia Buda.  
 Illa, illa est Magni de nomine Constantini  
 Dicta, opibus Regum pulchrè exornata, potenti  
 Imperio, fama; ingens, magna æmula Roma.  
 Porrò hanc, cui fixis oculis stupefactus inhaeres,  
 Urbem, vallorum latè quam circulus ingens  
 Ambit, miraris? ea qua sit deinde requiris.  
 Cernere pyramidum quæ dat spectacula, quæq;  
 Clara sepulcrorum præbet miracula Regum?  
 Est Memphis: sæui iussa imperiosa Tyranni  
 Quatuor hæc didicere pati, & iuga dura subire  
 Heu misera. hæc Solymæ sanctæ sunt mœnia: scèdè  
 At nunc raptam manent, canibus data præda cruentis.  
 Quæ sit causa rogas? agitans discordia fratres,  
 Quos voluit dici ipse suo de nomine Christus,  
 Hoc facit. ut proprios enses in viscera vertant  
 Heu sua, nec capiti studeant auertere pestem  
 Vnanimes: nimia vana cupidine capti.  
 Nunc age, præcipuas fœcundis diues Iberus  
 Quas habeat terras, quas Gallia fertilis urbes,  
 Accipe. Quam cernes magnis, en aspice, muris,  
 Est, sua quæ iactat cocco saturata rubenti  
 Serica fila, olim populis, Granata, beatas  
 Laudata. hæc est Mercurio fundata, potensq;  
 Hispalis: hic, toti felix notissima mundo  
 Vlyxbonna iacet: nobis quæ dedita mittit

Munera